B. N. C
FIRENZE
1069
24

1069. 24

A I

ALPHABETVM HEBRAICVM,

In quo quicquid ad Hebraicam Linguam pertinet legendam, continetur.

A D. GVLIELMO DE FRANCHIS ROMANO, Monacho Congregationis Vallis Vmbroſæ ex primo ipſius Grammaticæ libro excerptum.

Nunc ſecundo ab ipſo Auctore recognitum, ſimulq́; adiectis Oratione Dominicali, Salutatione Angelica, Apoſtolorum Symbolo, & Antiphona ad Beatiſsimam Virginem.

PERMISSV SVPERIORVM.



ROMAE,
Apud Nicolaum Mutium. M. D. XCVI.

BIBLIOTECA NAZIONALE 1872

ADMODVM R.P.

D. GENESIO MINVCCIO

MONASTERII VALLIS VMBROSÆ
Nouitiorum Magiſtro Vigilantiſsimo.

D. GVLIELMVS DE FRANCHIS ROMANVS, eiuſdem Congregationis Monachus, fœlicitatem.

IAm ſatis conſtat, humaniſſime Pater, Vallis Vmbroſę Monachos nõ modo Latinis, Græcis, & Hebraicis literis aſſiduè operam nauare ſolitos, verumetiam hoc tẽpore hos tuæ curæ, fideique traditos Nouitios, tua ſumma vigilantia in eaſdem Linguas addiſcendas maximè incumbere. cum eos præter quotidianas lectiones, diebus feſtis, horas etiam Beatiſſimæ Mariæ Virginis Græcè, & Hebraicè, recitaré mihi com pertum ſit. Et quia, vt Hebraicam linguã

rectè perdiſcāt, Grammaticam noſtram, Vernaculo ſermone Bergomi typis mandatam ſemper illos in manibus habere nō me latet; ideo libellum ipſum, quem dum in Valle Vmbroſa docendi munus ſuſtinerem, confeceram, & iam Bergomi impreſſum, nunc ſecundo quibuſdam Orationibus adiectis, tibi dicare volui: vt ex ipſo tum Monaſticam diſciplinā, doctrinamq; tuam in regendis, docendisque Nouitijs indicarem, tum verò vt habeas, vbi Linguæ Hebraicę tyrones exercere poſſis, antequam Grammaticam noſtram aggrediantur. Accipe igitur hoc vel per exiguum munus, quod magni tamen erga te amoris continet argumentum; & quam primum regulas noſtras ad Rabbinorum Commentaria facillimè intelligenda expecta. Vale, meque vt facis, ama. Romæ ex Abbatia S. Praxedis Idibus Octobris. M. D. XCVI.

ALPHABETVM HEBRAICVM,

A D. GVLIELMO ROMANO Monacho Congregationis Vallis Vmbroſæ ex primo ipſius Grammaticæ libro excerptum.

De Literis Hebraicis. Cap. I.

HEbraica lingua, in qua omnes dictiones à dextro latere ad ſiniſtrũ flectendo, & ſcribuntur, & leguntur, continet duas, & viginti literas, omneſque conſonantes; quarum nomina, poteſtatem, & figuras, in ſequenti Tabula videre licet.

Poteſtas.	Figura.	Nomen.
a e i o u	א.	*Aleph*
b vel v conſonans	ב	*Bèth*
gh	ג	*Ghìmel*
d	ד	*Dàleth*
h	ה	*Hè*
v conſonans	ו	*Vàu*

Poteſtas.	Figura.	Nomen.
z	ז	*Zàiin*
ch	ח	*Cheth*
t	ט	*Tèth*
i conſonans	י	*Iòd*
Ch	כ	*Caph*
ch	ך	*chaph*
l	ל	*Làmed*
M	מ	*Mèm*
m	ם	*mèm*
N	נ	*Nùn*
n	ן	*nùn*
ſ	ס	*Sàmech*
ng	ע	*Nghàiin*
P	פ	*Pè*
ph	ף	*phè*
Z	צ	*Zàde*
z	ץ	*zàde*
K	ק	*Kòph*
r	ר	*Rès*
ſc	שׁ	*Scin*
ſ	שׂ	*Sin*
th	ת	*Tau*

Inter

Inter literas præſcriptas quinque reperiuntur, quæ duplices, ſiue biformes dicuntur, nempe,

כ מ נ פ צ.

ך ם ן ף ץ.

quarum priores, quæ etiam ſunt cõtractiores, primum & medium tantummodo dictionis locum occupant; poſteriores verò, quæ etiam ſunt longiores, finem tantum dictionis tenent: & ideo in Alphabeto conſcripſimus Maiuſculam literam Latinam cum prioribus, & minuſculam cum poſterioribus.

Et hæc de literarum formatione: aggrediamur modo characterum ferè conformium oſtendere minutas differentias.

De literarum Diſcrimine. Cap. II.

BEth, & Caph ſic formantur, ב כ; differunt, quia Beth, habet angulos rectos, quibus Caph, caret.

Ghimel, & Nùn, haud finale ſic formantur, ג, נ, differunt, quia linea Ghimel, inferior tranſuerſalis, incipit

prope finem lineæ rectæ: linea verò tranſuerſalis, Nun, incipit in fine lineæ rectæ.

Daleth, & Res, ſic formantur, ד, ר; *differunt, quia Daleth habet angulum rectum, Res, minime.*

He, & Cheth ſic formantur, ה, ח; *differunt, quia linea ſiniſtra He, non coniungitur cum ſua ſuperiori linea, quæ in litera Cheth, apparet coniuncta.*

Cheth, & Tau, ſic formãtur, ח, ת; *differunt, quia linea ſiniſtra Cheth, vniformis eſt, & dextræ per quam ſimilis; at linea ſiniſtra Tau aliquantulum craſſior eſt in fine, ita vt curuari parum videatur.*

Mem finale, & Samech, ſic formantur, ם, ס; *differunt, quia mem angulos rectos habet, vt quadratam conſtituat figuram; Samech autem nullum habet angulum, ita vt magis ad rotundam figuram accedat.*

Sin, & Scin eædem penitus ſunt charactere, vt שׂ, שׁ; *differunt tamen, quia Scin habet punctum in dextro latere, Sin autem in ſiniſtro.*

De Literarum pronunciatione. Caput III.

Aleph, א *quamuis natura ſua in ſummo gutture deberet formari, & pronunciari, veluti ſpiritui leni Græcorum reſpõdeat; vſus tamen obtinuit, vt per ſe nullum ſonũ faciat; ſed penitus eundem emittat ſonum, quem vocalis, cui adiungitur, ipſa per ſe faceret: ita vt ſi, o, adiungatur, nullum ſonum, niſi ſonum, o, faciat: ſi, i, faciat, i, & ſic de ſingulis.*

ב *Beth, ſi in medio corporis habet punctum, ſic* בּ, *de quo infra, facit ſonum ſicut b, latinum; ſi verò non habet, ſic* ב *facit ſonum ſicut u, conſonans Latinum.*

ג *Ghimel cum puncto, eundem penitus retinet ſonum, quem retinet g, latinum; ſine puncto lenius profertur: vt gh.*

ד *Daleth, cũ puncto valet, vt d; ſine puncto, eundem etiam emittit ſonum, quem d, ſi tamen d, proferatur poſita linguæ acie inter dentes anteriores, quod eſt fere dimidium d.*

ה *He aſſimilatur in ſono huic ſyllabæ latinæ, he,*

ſi tamen craßiori, quam ſolemus aſpiratione, hãc ſyllabam proferamus; ſicuti etiam ſi poſt longum curſum, cum defeſſi ſumus anhelitu laborioſò ipſam proferamus: ex imo enim gutture extrahitur; vel aſſimilatur illi ſono, quem, quidam emittunt canentes plures notas ſuper hanc ſyllabam, he, aſcendendo.

ו *Vau eundem ſonum emittit, quem u, latinum conſonans; ſi habet ſuam vocalem, ſonat ſicut u, cum ſuam vocalem præcedit, vt eſt in hac voce, volo; ſi non habet ſuam vocalem ſonat ſicut u, cum vocalem ſequitur, vt eſt in hac voce, audio: & hoc vltimum tantum in fine dictionis obſeruabitur, vt infra dicemus.*

ז *Zaïjn, et vtrunque* צ, ץ*, Zade, ſonant ſicut z, latinum, ſed Zaïjn, ſonat ſicut z, in hac voce materna, Zelo, Zade verò ſonat ſicut z, in hac voce materna, zoppo.*

ח *Cheth, idem ſonat quod ch, noſtrum, ſed cum aſpiratione duriore, & acriore, ita vt ſi recte formetur, ex gutturis nodo ſit extrahenda.*

ט *Teth, valet idem quod t, latinum.*

י *Jod valet i, conſonans, ſed in fine i, vocale, niſi*

vene-

venerit poſt vocales Zere, Chirec, & Segol, de quibus in ſequenti capite.

כ *Caph, & ך, chaph abſque puncto ſonant ſicuti Cheth, vt in regula ſuperiori; ſed cum puncto, ſicut c, ſiue ch.*

ל *Lamed valet l.*

מם *Mem valent idem quod M, m.*

נן *Nun valent N, n.*

ס Samech ualet *ſ.*

פ *Pe cum puncto in medio ſonat idem, ac p, latinum, ſine puncto idem quod ph, ſiue f, & hoc ultimo modo ſemper legitur ף, phe.*

ע *Ngaijn eſt vox, cuius ſonus circunſcribi nequit: attamen ſatis commode formabitur, ſi flatum a naribus trahentes, in imo gutture comprimamus, & ſonum medium inter n, & g, emittamus, cuius ſonum prope attingunt hi, qui naribus loqui ſunt aſſueti.*

De צ, ץ *Zade, iam diximus in Zaijn.*

ק *Cof ſonat K, ſiue c.*

ר *Res ualet r.*

שׂ Sin *ualet idem, quod ſ.*

שׁ Scin *autem idem quod ſc.*

Tau cum puncto in medio ſic, תּ profertur ut t, latinũ; ſine puncto autem hoc modo ת, ſimiliter, ſed magis lene, ita ut ſit uox fere media inter d, & t, ſicut profertur th, uel thita græcum.

Hactenus de literis, nunc ad vocales accedamus.

De Vocalibus. Cap. IIII.

Vocalibus Hebræi carent, in ſuo enim Alphabeto non ut Græci, & Latini, uocales commiſcent conſonantibus, ſed literæ illæ ſupra poſitæ, ut diximus, ſunt conſonantes: at uocalium uice puncta quædam habẽt, quæ quamuis ſint decem, quinq; magna, & totidem breuia, ad quinque tamen latinas uocales reducuntur: ut uidere licet cum eorum nomine, & figura in ſequenti Tabula, in litera ב expreſſa.

		בָ *Camèz.*		*a*
Pũcta	*Quin-*	בֵ *Zère.*		*e*
decem	*que ma*	בִי *Chìrec magnum.*	*valent*	*i*
	gna	בוֹ בֹ *Chòlem.*		*o*
		בוּ *Sciùrec.*		*u*

Quin-

Quinq; breuia.	בַ	*Padàch.*	valent	*a*
	בֶ	*Segòl.*		*e*
	בִ	*Chìrec paruum.*		*i*
	בֳ	*Chatèf camèz.*		*o*
	בֻ	*Chibbùz.*		*u*

Conſonās ז*, in prædictis punctorum nominibus profertur, ſicut in Zade, & non ſicut in Zaijn.*

Chìrec magnum a paruo differt, quia poſt magnum ſequitur י*, Jod quieſcens, poſt paruum non.*

Chòlem, ponitur duobus modis, cum ו*, Vau, & ſine ipſo.*

Cur decē puncta diuidantur in magna, & breuia, in noſtra Grammatica diximus; Hic autem obiter notandum eſt, omnia prædicta puncta ſcribi ſub litera, præter Chòlem, quod ſcribitur ſuper dextro latere, & Sciùrec, cum ſigno Chìrec magni, quod eſt י*, Iod, quæ ſcribuntur poſt literam.*

De Camèz chatùf. Cap. V.

QVia in quibuſdam codicibus ipſi Chatèf camez non ſolent dextro lateri adſcribi duo illa puncta. (quæ dicuntur Sceuà de quibus infra,) ideo, ne lector fallatur, & allucinetur,

cinetur, ipſum putans eſſe Camez vocalem magnam, tres ſubſcribam regulas, quibus Camez motionem magnam, a Chatef camez, quando ſua perdit puncta, (quod tunc dicitur Camez chatuf) facile diſcernet.

Prima regula. Illud eſt Camez catuf, quod non habet accẽtum aliquem, & poſt ipſum ſequitur Sceuà, *aut punctum quoddam in medio literę, quod vocatur* Daghes: *vt* כֻּלּוֹ, *collù,* חָכְמָה *chochmà.*

Secunda *regula. Omne Camez, quod eſt in fine dictionis, quod ſequitur hæc virgula,* ־ *quam Maccaph vocant, ſi immediate non ſequatur littera* א *Aleph, vel* ה *He, eſt Camez chatuf, non Camez vocalis magna: vt* כָּל־אֹיְבָי *col - hoiuai* יִפְרָץ־בָּם *iiphròz - bam.*

Tertia regula. Camez, quod eſt in fine dictionis accentum in penultima ſyllaba habentis, eſt Camez chatuf: vt וַיָּקָם *uaiàcom, & ſimilia.*

De Semipunctis. Cap. VI.

HAbent Hebræi præter puncta prædicta tria alia, quæ non puncta, ſed ſemipũcta uocant; quorum nominis, inuentioniſq́ꝫ

ratio, vt opinor, eſt; quia decem puncta priora cum ſuis conſonantibus, quibus inſunt, ſemper leguntur; ſed quia non omnes conſonantes ſemper aliquod prædictorum punctorum poſſident: ſimile punctum inuenerunt, nimirum Sceua, vt aliquando legatur, aliquando vero minime. Item quia decem puncta ſimplicia ſunt, & nullũ ab alio formatur (præter Chatefcamez, quod reduxerunt ad ſimplicem vocalem, vt ſupra) inuenerunt aliud punctum, nempe Chatèf pathach & Chatèf ſegol, quod ab aliquibus formaretur; vt ſi aliqua litera non poteſt vnum punctorum prædictorum habere, vnum horum ſemipunctorum habeat.

Primum igitur ſemipunctorum vocatur Sceuà: quod formatur ſuper ponendo vnum punctum alteri, hoc modo : quod eundem emittit ſonum, quem e, noſtrum ſtricte prolatum: vt profertur, e, in Vernacula lingua, Pero, ſed quia prædictum Sceuà, vt diximus, non ſemper legitur, ſequens Tabula indicabit, quando illud legi debet, & quando non.

1	*In princ. dictionis, ut* דִבַר *deuàr.*	1	*In fine dictionis, ut* וַיֵּלֶךְ *uaièlech.*
2	*Quando ipſum præcedit punctũ magnũ, ut* פִּקְדוּ *pachedù.*	2	*Quando præcedit ipſum paruum punctũ, ut* לִמְּדוּ *limdù.*
3 Legitur Sceuà.	*Quãdo in litera, in qua eſt ipſum Sceuà, eſt pũctũ uocatũ Daghes, ut* דִבְּרוּ *dibberù.*	3	*Quando ipſum præcedit magnũ punctum cũ accentu, vt* אַרְצָה *àrzah.*
4	*Quãdo in eadem dictione ſũt duo Sceuain, ultimũ legitur, ut* יְלַמְּדוּ *iilmedù.*	4 Non legitur Sceuà.	*Quãdo in eadem dictione ſũt duo Sceua in primũ non legitur, vt* יְלַמְּדוּ *iilmedù.*
5	*Quãdo in eadem dictione duæ reperiuntur literę ſimiles, quarum prima habeat Sceuà, vt* הַלְלוּ *halelù.*	5	*Quando Sciùrec erit in principio dictionis, ſi poſt ipſum ſequitur Sceua, non legitur, vt* וּפְקוֹד *vfchòd.*

Et

Et hæc de ſimplicibus punctis; nunc de compoſitis, quæ ſunt duo alia ſemipuncta, quæ vno nomine dicuntur Chateſim, quorum primum eſt cōpoſitum ex Padach, & Sceua, ponēdo ipſum Sceua in dextro cornu ſic ֲ, quod idem valet, ac Padach, ideſt, a: alterum componitur ex Segol, & Sceua, hoc modo ֱ, quod valet idem, ac Segol, ideſt e, lato ore prolatū, & uocatur Chateſ ſegol.

Atque hæc de Hebræorum vocalibus ſufficiant.

De Daghès. Cap. VII.

SÆpe nos ſuppoſuimus in tertio cap. & alibi literam aliquam habentem punctum in gremio diuerſe proferri a non habente: ne igitur moleſtior ſit ſuppoſitio noſtra, declarabimus in præſenti ipſum punctum. Eſt igitur Daghes punctum quoddam in medio alicuius literæ impreſſū ſic, בּ cuius ſunt capaces omnes literæ, præter has quinq; אהחער, ideſt literas illas, quæ Gutturales appellantur, & etiam literam ר, Res.

Iſtud Daghes eſt duplex, alterum uocatur Daghes Cal, ideſt lene, quod inuenitur tantum in aliqua harum ſex literarum, quæ comprehenduntur

his duabus dictionibus, בגד כפת, *in quibus ponitur roborandi cauſa; eo enim abſente lenius proferuntur prædictæ literæ, ut diximus in tertio capite. Alterum uocatur Daghes ChaZac, ideſt, forte, quod non ſolum ſex literæ prædictæ, ſed etiam omnes aliæ (præter quinque, quas poſuimus in principio huius cap.) habere iure poſſunt. Eius munera multa ſunt, ut eſt uidere in noſtra Grammatica, hic autem hoc tantum obſeruare ſatis eſt, quod quotieſcunque Daghes iſtud forte in gremio alicuius literæ reperitur, ſemper literam illam, in qua eſt reduplicat: non enim ſolent Hebræi duas conſonantes cum unico puncto ponere, ut Latini, & Græci, ſed primæ conſonantis uice, ponunt Daghes forte; uerbi gratia hæc dictio, Abba, ſic ſcribitur* אַבָּה, *& non* אַבְבָּה. *& quia iſtud Daghes forte a leni informatione nihil differt, ſed tantum in collocatione: dicimus, Daghes lene illud eſſe, quod ponitur in principio dictionis, uel poſt Sceua, quod non legitur. Daghes forte, quod ponitur poſt aliquam uocalem; ut* דִּבַּרְתִּי *dibbarti, primum eſt lene. ſecundum forte. tertium lene.*

De Literis Quieſcentibus. Cap. VIII.

HÆ quatuor literæ אהוי quieſcentes dicuntur, quia aliquando nullam uocalem aſciſcunt, ſed q●ieſcũt, & nullũ ſonum auribus emittunt; quare animaduertendum eſt, quod quando prædictæ literæ reperiuntur in medio, uel in fine dictionis abſque aliquo puncto, non debent legi, ac ſi penitus ibi non eſſent; & ſicut profertur hæc dictio, חמְרי in qua non eſt א, Aleph, ſic iſta חאמְרי in qua eſt; quæ regula inuiolabilis eſt in litera א Aleph. ſed in alijs tribus literis locum non habet, quando ipſæ habent Mappic, hoc eſt eductorem; eſt enim ſignum quoddam aliquam trium literarum educi, & legi debere. Signum autem iſtud, diuerſum eſt in unaquaque litera: in litera enim י Iod ſignum ipſius pronũciationis eſt, quando ipſa eſt in fine, & ante ſit aliquod horum punctorum, Padach, Cameʒ, Cholem, & Sciurec, tunc enim י Jod non otiatur, & quieſcit. ſed legitur, & coaleſcit, ut uocalis in diphtongo, ut אֵלַי, elai אֲדוֹנָי adonai, גּוֹי gòi, גָּלוּי galui. Signum pronunciationis Vau ו, & ipſius coaleſcentiæ eſt,

quando eſt in fine, & etiam ſit cum aliquo horum punctorum, Padach, Camez, Chrirec magnum, & Zere: ut קָו *cau,* תָּו *tau,* פִּיו *piu,* גֵּו *gheu. Signum pronunciationis* ה *He, eſt, quando reperitur in fine cum puncto in gremio, hoc modo* הּ *He, quod nō eſt Daghes, ſed Mappic: nempe ſignum, ut ipſa* הּ *He legatur, & ad ſe aſpirando attrahatur, ut* ראֹשָׁהּ *roſciahh. De his literis multa diximus in noſtra Grammatica: hic autem tantum recenſuimus, quod ad legendum pertinebat, quo abſoluto deueniemus ad Accentus.*

De Accentibus. Cap. IX.

Accentus, ut diximus in noſtra Grammatica, multi ſunt, quorum nomina ſcire, & figuras cognoſcere non ad legere cupientem pertinet; ad ipſum enim ſolum attinet tenere, quod ſyllaba accentu ſuffulta debet acui, & ueluti pungi; excipitur tantum ab hac regula ſyllaba, in qua eſt Sceua, quæ cū ſequente pronunciādo coniuugitur. Obſeruabitur etiam uirgulam illam ſiue punctum accentum eſſe, qui nullam habet cum prædictis punctis, ſiue in figura, ſiue in

collo-

collocatione, ſimilitudinem Quare dum pũctum, ſiue uirgulam inuenies nullam cum alijs punctis ſimilitudinem habentem, dices ipſam accentum quendam eſſe, & ibi ſyllabam acue nihil aliud quærens.

De Modo legendi. Cap. X.

I*Am de literis Hebraicis, de Vocalibus, ac de omnibus, quæ ad legendum pertinebat abſoluimus; Nunc uero opus eſt tradere modum, quo unuſquiſque linguam Hebraicam legere recte poſſit. Eſt igitur notandum in literis cum ſuis punctis pronunciandis, primo proferri literam, deinde punctum; dicitur enim דַ, da, non autem, ad: & ſic de ſingulis literis & punctis; ex quibus tantum excipiũtur duæ literæ ח, Cheth, & ע, Ngaïjn, dum in fine dictionis cum Padach, inueniuntur; quæ uenire ſolent poſt quatuor uocales Zere, Chirec magnum, & Sciurec, & Cholem; tunc enim primo profertur punctus, deinde litera; dicitur enim רוּחַ, ruach, יָדוּעַ iadùang, non autem rucha, iadunga, & ſic de ſingulis dictionibus, in quibus adſint Zere, Chirec magnum, uel Cholem.*

ſi vero

ſi uero prædictæ literæ in principio, uel in medio dictionis inuenientur, eo modo, quo & aliæ ſunt legendæ.

Et hæc ſatis quo ad præſentem libellum; ſi quid autem aliud ab aliquo deſideretur, Grammaticam noſtram conſulet, ubi omnia fuſius continentur.

Sequuntur, Hebraico idiomate, Oratio Dominicalis, Salutatio Angelica, Apoſtolorũ Symbolum, & Antiphona ad Beatiſſimam Virginem, quæ incipit, Salue Regina: vt tyrones ſpiritualiter ſe exercere poſſint ad rectè Hebraicam linguam legendam.

אָבִינוּ שֶׁבַּשָּׁמַיִם יִתְקַדֵּשׁ שְׁמְךָ יָבוֹא מַלְכוּתְךָ וְיֵעָשֶׂה רְצוֹנְךָ
כַּאֲשֶׁר בַּשָּׁמַיִם וּבָאָרֶץ: לַחְמֵנוּ הַתָּמִיד תֵּן לָנוּ הַיּוֹם וְכַפֵּר לָנוּ
אֶת עֲוֹנוֹתֵינוּ כְּמוֹ שֶׁאָנוּ מְכַפְּרִים לַפּוֹשְׁעִים בָּנוּ וְאַל תְּבִיאֵנוּ
לִידֵי נִסָּיוֹן אֲבָל הַצִּילֵנוּ מִכּוֹל רַע אָמֵן:

Salutatio Angelica.

שִׂמְחִי מִרְיָם מְלֵאַת חֵן יְהֹוָה עִמָּךְ בְּרוּכָה אַתְּ בַּנָּשִׁים וּבָרוּךְ
פְּרִי בִטְנֵךְ יֵשׁוּעַ: מִרְיָם הַקְּדוֹשָׁה אֵם יְהֹוָה הִתְפַּלְּלִי בַּעֲדֵנוּ כִּי
חָטָאנוּ עַתָּה וּבְשָׁעַת מִיתָתֵנוּ אָמֵן:

Symbolum Apoſtolorum.

אֲנִי מַאֲמִין בַּיהֹוָה אָב שַׁדַּי בּוֹרֵא שָׁמַיִם וָאָרֶץ: וּבְיֵשׁוּעַ בְּנוֹ
מְשִׁיחוֹ יְחִיד אֲדוֹנֵנוּ: אֲשֶׁר הוֹרָה מֵרוּחַ הַקֹּדֶשׁ נוֹלַד מִמִּרְיָם
הָעַלְמָה: נָגוּעַ וּמְעֻנֶּה תַּחַת פּוֹנְצִיאוֹ פִּילַאטוֹ נִדְקַר עַל הָעֵץ מֵת
וְנִקְבַּר: יָרַד לִשְׁאוֹל תַּחְתִּיָּה בַּיּוֹם הַשְּׁלִישִׁי קָם מִמֵּתִים: עָלָה
אֶל הַשָּׁמַיִם יוֹשֵׁב לִימִין יְהֹוָה אָב שַׁדַּי: מִשָּׁם יָבוֹא לָדִין אֶת
הַחַיִּים וְאֶת הַמֵּתִים: אֲנִי מַאֲמִין בְּרוּחַ הַקֹּדֶשׁ בָּעֵדָה הַקְּדוֹשָׁה
הַכְּלָלִית: וּבְיִחוּד הַקְּדוֹשִׁים: וְלִסְלִיחַת עֲוֹנוֹת: בִּתְחִיַּת
הַמֵּתִים: וּבְחַיֵּי הָעוֹלָם הַבָּא: אָמֵן:

Antiphona ad Beatiſſ. Virginem.

שָׁלוֹם לָךְ מַלְכָּה אֵם רַחֲמִים: חַיִּים וּמֶתֶק מַמְתַּקִּים וְתוֹחַלְתֵּנוּ
עָלְזִי: אֵלַיִךְ אֲנַחְנוּ צוֹעֲקִים בְּנֵי חַוָּה גְּרוּשִׁים: לָךְ אָנוּ נֶאֱנָחִים
גּוֹנְחִים וּבוֹכִים בְּגֵיא הַדִּמְעוֹת הַזֹּאת: הָבָה־נָא מִשְׂגַּבֵּנוּ עֵינַיִךְ
רַחֲמָנִיּוֹת הָשִׁיבִי אֵלֵינוּ: וְיֵשׁוּעַ הַמְּבוֹרָךְ פְּרִי בִטְנֵךְ אַחַר הַגֵּרוּשׁ
הַזֶּה הַרְאִינוּ: רַחֲמָנִית מְלֵאַת חֶסֶד מִרְיָם עַלְמָה הַנְּעִימָה
הִתְפַּלְּלִי בַּעֲדֵנוּ יוֹלֶדֶת יְהֹוָה הַקְּדוֹשָׁה: לְמַעַן נִזְכֶּה לָקַחַת אֶת
אֲשֶׁר נִשְׁבַּע לָתֵת לָנוּ הַמָּשִׁיחַ:

D. Hippolitus de Landis Abbas S. Praxedis de Vrbe, conceſſit D. Gulielmo prædicto licentiam imprimendi hoc Alphabetum.

Z 1069
24

99958678

Mc